UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Expedita Juris Divini, Natvralis, Et Ecclesiastici Moralis Expositio

Tamburini, Tommaso

Coloniæ Agrippinæ, 1665

Impedimentum Decimum Quartum. Absentia Parochi, & Testium. Cap. XV.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40132

Visual Library

Quando, omnibus expenſis, dubium eſt, an Impotentia perpetua præceſſerit, unde ſit dubium de validitate Matrimonii, an potius ſubſecuta ſit, vide latè apud Sanchez, *a* alioſque.

a Sanch. l. 7. matr. d. 103. Reginal. lib. 31. n. 105. Aver. q. 13. matr. ſec. 4. Bonac. q. 3. de matr. p. 13. n. 11.

CAPUT XIV.

Impedimentum XIII.

Raptus.

De hoc Impedimento latê egi lib. 7. in Decal. c. 6. §. 6. à n. 9.

CAPUT XV.

Impedimentum XIV.

Abſentia Parochi, & Teſtium.

De hoc agam, Deo favente, infra commodius Tract. 4. ferè per totum latiſſimè.

CAPUT XVI.

De Impedimentis ſolùm impedientibus Matrimonium.

1. Erant hæc olim duodecim his verſibus comprehenſa:

Eccleſiæ vetitum, nec non Tempus feriatum,
Atque Catechiſmus, ſponſalia, jungito votum,
Impediunt fieri, permittunt facta teneri.
Inceſtus, Raptus ſponſæ, mors mulieris,
Suſceptor propriæ ſobolis, mors presbyteralis,
Vel, ſi pœniteat ſolemniter, aut Monialem
Accipiat, prohibent hæc conjugium ſociandum.

Cum his ergo olim illicitè contrahebatur Matrimonium, ſed validè. *b* Nunc partim à Tridentino, partim à conſuetudine legitimè uſurpata, reducta ſunt ad quatuor, nam proptereà ſolùm hæc explicabo. Illa cætera videat Lector apud Doctores paſſim: Hæc autem quatuor (quorum duo ſunt impedimenta admodum limitata) hoc verſu comprehendere, in gratiam Tironum, volui.

b Sanc. l. 7. d. 17. & communiter.

Sacratum tempus, Vetitum, Sponſalia, Votum.

SACRATUM TEMPUS.

2. Tridentinum *c* limitans Canones antiquos ſolùm prohibet (ſub qua culpa ſuo loco dicam infra *d*) ne ab Adventu Domini uſque ad Epiphaniam, & à die Cinerum uſque ad Dominicam in Albis incluſivè, celebrentur Benedictiones ſolemnes Matrimonii, & ſolemnes traductiones Sponſæ ad domum Sponſi cum multis lætitiæ ſignis. Non ergo prohibet, iniri Matrimonia, vel conſuetas denunciationes fieri, vel privatas Traductiones *e* Sponſæ ad Sponſi domum: id, quod indicavi, dum dixi modò, hoc impedimentum eſſe valdè limitatum.

c Trid. ſ. 24. c. 10. de reform. matr.
d Infra n. 7. de ſolen. matr. c. §. 4.
e Sanc. l. 7. matr. d. ... n. 6. Pon. li. 6. c. 7. & habetur C. Ex na. De clãdeſtina Deſponſatione.

VETITUM.

3. Quando Epiſcopus, vel etiam Parochus, ut notat Sanchez, *f* aliique, graviter alicui prohibent etiam extra Judicium, ne Matrimonium tunc contrahatur, ſed differatur ob aliquam rationabilem cauſam, puta, ut interim cognoſcatur de aliquo impedimento dirimenti, vel, ut rixæ, & diſcordiæ componantur, &c. licet validè, illicitè tamen graviter, contrahunt Matrimonium, & debebit Judex Eccleſiaſticus *g* pœnam arbitrariam non obedientibus infligere.

4. Excommunicatus, ſive Majori, ſive Minori Excommunicatione, cùm interdictus ſit, ut dicemus in Tract. de Excommunicatione, recipere Sacramenta, illicitè etiam recipiet Matrimonium, licet validè, ut ibidem explicabimus.

5. Tempore autem interdicti prohibitæ quidem ſunt Benedictiones Matrimonii, non tamen ipſius Matrimonii contractio, ut item dicemus cùm de Interdicto.

Ex dictis vides, quàm meritò dixerim, hoc impedimentum eſſe limitatum, ac diminutum.

f C. 1. de matr. contra Interd. Eccleſ. & de Cartariis dec. 23.
g C. 1. de matrim. contra Interd. Eccleſ. Vide Cartar. Deciſ. 23.

SPONSALIA.

6. Hoc tertium enim verô, ut & quartum, ſunt